Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Non perdidit, sed quem uide per inuidiam praedicatur tibi Christus, bibe Christum, uita inuidiam. Noli imitari malum praedicatorem, sed imitare bonum qui tibi praedicatur. Ergo Christus a quibusdam per inuidiam praedicabatur. Et quid est inuidere? Horrendum malum. Ipso malo quo diabolus deiectus est, ipso deiecit. Multum maligna pestis, et habebant illam quidam praedicatores Christi, quos tamen praedicare permittit apostolus. Quare? Quia Christum praedicabant. Qui autem inuidet, odit. Et qui odit, quid de illo dicitur? Audi apostolum Iohannem: Qui odit fratrem suum, homicida est. Ecce per Iohannem baptizatum est, per homicidam non est baptizatum, quia Iohannes dedit baptismum suum, homicida dedit baptismum Christi. Quod sacramentum tam sanctum est, ut nec homicida ministrante polluatur. Non respuo Iohannem, sed potius credo Iohanni. Quid credo Iohanni? Quod didicit per columbam. Quid didicit per columbam? Hic est qui baptizat in spiritu sancto. Iam ergo fratres tenete hoc, et cordibus uestris infigite. Si enim hodie uoluero plenius dicere quare per columbam, tempus non sufficit. Quia enim res dicenda insinuata est Iohanni per columbam, quam non nouerat in Christo Iohannes, quamuis iam nosset Christum, exposui quantum arbitror sanctitati uestrae. Sed quare hanc ipsam rem per columbam oportuit demonstrari, si breuiter dici posset dicerem. Sed quia diu dicendum est, et onerare uos nolo, quomodo adiutus sum orationibus uestris, ut illud quod promisi implerem, adiuuante etiam atque etiam pia intentione et uotis bonis. Illud apparebit uobis quare Iohannes quod didicit in domino, quia ipse est qui baptizat in spiritu sancto, et nulli seruo suo translegauit potestatem baptizandi, non debuit discere nisi per columbam. Sermo VI de eadem lectione.

FATEOR SANCTITATI UESTRAE TIMUERAM NE FRIGUS hoc frigidos uos ad conueniendum faceret. Sed quia ista celebritate et frequentia uestra spiritu uos feruere monstratis, non dubito quod etiam orastis pro me ut debitum exsoluam. [uobis] Promiseram in nomine Christi disserere hodie, cum angustia temporis tunc impediret nec possem explicare tractando, quare deus per columbae speciem ostendere uoluerit spiritum sanctum. Hoc ut explicetur, illuxit nobis hodiernus dies, et sentio audiendi cupiditate et pia deuotione uos celebrius congregatos. Expectationem uestram deus impleat ex ore nostro. Amastis enim ut ueniretis, sed amastis quid? Si nos, et hoc bene. Nam uolumus amari a uobis, sed in nobis nolumus. Quia ergo in Christo uos amamus, in Christo nos redamate, et amor noster pro inuicem gemat ad dominum. Ipse enim gemitus columbae est. Si ergo gemitus columbae est, quod omnes nouimus,